

Semper mundū
fuisse.

Quādo repit
tempus

nari nos faciunt, certo mūdi principio paulatim singula quæcūq; coepisse. Sed mundum quidem fuisse semper, philosophia autor est, conditore quidem deo, sed non ex tempore. Siquidem tempus ante mundum esse non potuit, cum nihil aliud tempora nisi cursus solis efficiat. Res uero humanæ ex parte maxima sæpe occidunt manente mundo, & rursus oriunt, uel eluione uicissim uel exustione redeūte. Cuius uicissitudinis causæ uel necessitas talis est: Ignē æthereum phisici tradiderunt humore nutriri: asserentes ideo sub zona cœli perusta, quā uia solis, id est zodiacus, occupauit, oceanū (sicut suprā descripsimus) à natura locatū, ut oīs latitudo, q̄ sol cum quinq; uagis & luna ultro citroq; discurrunt, habeat subiecti humoris alimoniam. Et hoc esse uolunt quod Homerus diuinarum om̄ium inuentionū fons & origo, sub poëtici nube figmēti, uerum sapientibus intelligi dedit, Iouem cum dijs cæteris, id est cum stellis, profectum in oceanū, Aethiopibus eum ad epulas inuitantibus. Per quam imaginem fabulosam Homerū significasse uolunt, hauriri de humore nutrimenta liberibus: qui ob hoc Aethiopus reges epularū cœlestium dixit: quoniam circa oceani oram, non nisi Aethiopes habitāt, quos uicinia solis usq; ad speciem nigri coloris exussit. Cum ergo calor nutriatur humore, hæc uicissitudo contingit, ut modo calor, modo humor exhuberet. Euenit enim ut ignis usq; ad maximum enutritus augmentū, haustū uincat humorem: & sic aëris mutata tēperies licentiam præstet incendio, & terra penitus flagrantia immissi ignis uratur. Sed mox impetu caloris absumpto, paulatim uires reuertunt humori, cum magna pars ignis incendijs erogata, minus iam de renascente humore consumat. Ac rursus longo temporæ tractatu, ita crescens humor altius uincit, ut terris infundat eluio. Rursusq; calor post hæc uires resumit. Et ita fit, ut manente mūdo, inter exuperantis calor humorisq; uices, terrarum cultus cum hominum genere sæpe intercitat, & reducta temperie rursus nouetur. Nunquam tamē siue eluio siue exustio, omnes terras aut omne hominum genus uel om̄ino operit, uel penitus exurit. Aegypto certe (ut Plato in Timæo fatetur) nunq; nimietas humoris nocuit uel calor. Vnde & infinita annorū milia in solis Aegyptiorum monumentis librisq; releguntur. Certæ igitur terrarum partes inter necioni superstites, seminarium instaurando generi humano fiunt. Atq; ita cōtingit, ut non rudi mundo, rudes homines & cultus inscijs, cuius memoriam intercipit interitus, in terris oberrent: & asperitatē paulatim uagæ feritatis exuti, conciliabula & cœrus natura instruente patiantur: sitq; primum inter eos mali nescia, & adhuc astutiæ inexperta simplicitas: quæ nomen auri primis seculis præstat. Inde quo magis ad cultum rerum atq; artium usus promouet, tãto facilius in animos serpit æmulatio: quæ primum benè incipiens, in inuidiã latenter euadit. Et ex hac iam nascitur quicquid genus hominū post sequentibus seculis experitur. Hæc est ergo, quæ rebus humanis pereundi, atq; iterū reuertendi incolumi mundo, uicissitudo uariatur.

De diuersitate annorum, q̄q; is qui uerè annus uertens est ac mundanus, quindecim nostrorum annorum ambiat milia.

Caput

.XI.

Quid autem interest ab his qui postea nascētur, sermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui antè nati sunt, qui nec pauciores, et certe meliores fuerunt